



~~D. n. 168~~


1) Ausgabung

Der Herron Pflageret

Wobst 21-17)

DE 168

MF (16)



CALVMNIA
 MONSTRVM MON-
 STORVM, VICIORVM
 vicium, nocentissima humanae
 societatis pestis, pacis ac tranquil-
 litatis turbatrix, infensa bonis,
 amica malis,
 CARMINE HEROICO
 ADVMBRATA

à
 CASPARO CONRADO
 VRATISL.

Isocrat.
 Μέγιστον κακὸν Διαβολή.



L I P S I Æ
 Michaël Lantzenberger excudebat.
 ANNO M. D. XCV.

*Ornatiss. ac doctiss. ju-
 veni Dn. Casparo Leibe-
 ro Monsterbergensi SS.
 LL. in Academia Jenens
 Studioso, amico suo pluri-
 mum colendo dat. auctor*



Caspar Conradus

Magnificis

*ANTIQUA GENERIS NOBILITATE,
ERVDITÆ DOCTRINÆ COPIA, SAPI-
entia civilis, omniumq; virtutum laude prestan-
tissimis viris ac Dominis,*

Dn. ABRAHAMO IENCKVVITZ,
Domino in Goldschmiden, Iaxauu & Baumgarten,
inclytæ Vratislauenſium Reip. Præfecto digniſſimo :

Dn. ERASMO MVLLERO,
Domino in Liſſa, Crolckouuitz, Malckouuitz,
VVeigvuitz & Kraicka, eiufdem Reipub Sena-
tori primario :

&

Dn. CASPARO SEIDELIO,
Domino in Maiori Stradom, Kockelvuitz
& Ottendorff :

*Dominis ac Mæcenatibus ſuis ſumma reue-
rentia vnicè colendis*

*In ſtudiorum teſtimonium, & gratitudinis, obſervantiæq; debi-
tum monumentum hos de CALVMNIA verſiculos*

DDD.

Casparus Conradus
Vratislauenſis.



CALVMNIA

CARMINE HEROICO ADVMBRATA.

Huc age, Pieridum Præses, genialis Apollo,
Huc agite Ardalidum suavisſima turba ſororum,
Dijꝫ, Deaqꝫ, omnes, ſtadium quibus æqua tueri,
Quiꝫ decus colitis veri, verumqꝫ profeſſos,
Quiꝫ leues fugitis nugas, & falſa locutos:
Huc agite, & veſtiꝫ iam nunc depromite vires:
Carmina ſunt dicenda mihi, dignumqꝫ relatu,
Occurrit nuper mihi quod mirabile monſtrum,
Monſtrum horrendum, ingens, virulentum, informe,
Terribile in cunctis latè quod tractibus orbis (canendū,
Hinc atqꝫ hinc, ſclerum magnà comitante caterua,
Tendit iter, turpiqꝫ vomens mendacia lingua,
Omnibus obtrectat, contactuqꝫ omnia fædo
Commaculat, famamqꝫ & nomina clara virorum
Dente petit rabido, nec non fallacibus ardet
Omnia verſare inſidijs, ac fraude dolofa:
Atqꝫ ſeri Martis fera munera tractat, & atrox
Arma armis nectens medio in certamine ſeuit.
Hoc ubi cantaro monſtrum, vivoqꝫ colore
Eius virtutes, & ſtrenua pinxero facta,
Terris aduertens proram leto omine claudam.
Nuper ut humentem cælo dimouerat umbram
Puniceis inuecta rotis Titonia conuix,
Et ſplendore ſuo lampas Phœbea madentem
Colluſtrabat humum, ac miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, volucresqꝫ è frondibus altis
Suauifono magnum mulcebant aëra cantu:

Exspacior sacrata volens lustrare Dearum
Castra Heliconiadum, nec non opera atque labores
Altius illarum versare in pectore mecum.
Dum sic progredior notâ regione viarum
Et formidantem nigrâ caligine lucum
(Lucus enim propius dumis atque ilice nigra
Densus erat) paulatim alternis gressibus equo:
En subito horrissonus per opaca silentia stridor
(Mirandum dictu) nostras defertur ad aures:
Non secus ac aliquis surgens in cornua ceruus,
Aut lupus, aut ursus rabidus, vel montibus altis
Actus aper, frendens virgulta per auia sæuit,
Obstupui strepitu subito, gelidusq; cucurrit
Ossa per ima tremor, terræq; immobilis hæsi.
Utq; pauens oculorum orbem admurmura silvæ
Horrida conuerto, virgultaq; cornea specto,
Fæminea en species hinc sese attollit in auras,
Regina in morem, diademate tempora pulcro
Condecorata gerens, velocq; in tergore seruans
Remigium alarum: sed saucia parte sinistra
Pectoris, unde ruber spumanti sanguine fluctus
Dimanans, crocea velamina vestis inundat,
(Vestis ei nam talis erat,) post terga repostam
Non frustra leuam gestabat fæmina palmam,
Inq; illa multo perfusum sanguine cultrum:
Obscæne quoq; frontis ei fastigia circum
Irretitus erat turpis nullo ordine pannus.
Adde quod ambiguos ibat sine lumine gressus,
Eumenidumq; modo furiales crinibus angues
Squallebant: dextrâ magnum cratera tenebat
Auro calatum foris, intus at acre venenum,
Quod superinductum redolentis nectare mellis.

Deniq;

Deniq; retrorsum prae grandem pondere sphaeram,
Sulphure quae liquido, nigroq; bitumine sparsa
Igne vaporabat rutilo, flammisq; micabat
Delendis nulli per secula futura, trahebat.
Dum stupeo, obtutuq; haerens defixus in uno
Hanc magis intueor, magis atq; ignota figura
Visa nouae perpendo animo, sese ocyus illa
Eripit è luco, caecoq; celerrima gressu
Herentem nimium nequicquam, & multa timentem
Me petit, & blandè verbis affatur amicis:
Miraris formam, iuuenis, miraris amictum,
Femineumq; decus, quo rara induta videndam
Me sisto? nescisne meum, quo gaudeo, nomen?
Imò hoc insonuit loca cuncta: CALVMNIA dicor:
Imperij vis magna mihi, mihi regna, ducesq;
Oppida, rura, domus, totus mihi subiacet orbis,
Me penes imperium: populi genus omne ministras
Suppeditare manus gestit mihi, nutibus adstat
Omnis turba meis, facilemq; per omnia praestat.
Nec minus ipsa meas vigilans quoque perfero partes,
Et cunctas latè terras non segnis oberrans
Frena mei imperij vagarite gubernò, meisq;
Ocia ne ducant pigra, do peragenda ministris.
Ergo si iungi cupis his, nostrisq; statutis
Parere, ac fidus commisso munere fungi,
Te mihi suscipiam socium, tua tota manebo,
Tu solus mihi charus eris, tibi dulcia figam
Oscula, & ardenti semper complectar amore,
Præmia sicq; tibi reddam satis ampla laborum.
Sensibus hæc igitur, res est non parua reponens,
Ocyus enarra, tibi quæ sententia cordi.
Dixerat: hanc resequens titubanti interrogo voce

Quale sit officium, quod sit genus atq; laborum,
Cui famulas petat illa manus, cui premia tanta
Constituat, flammamq; sui promittat amoris?
Hec ego dum paucis: noua sese en forma sub ora
Nostra refert, noua forma viri, cui tempora circum
Canicies veneranda iacet, proluxaq; barba:
Incedit gressu magna grauitate modesto:
Vultus ei dulcis, stant lumina fronte serena,
Virtutis decus egregium: virtutis alumnus
Dixisses, veriq; virum, sic ora ferebat,
Sic oculos, animoq; ibat sincerus aperto.
Hunc è longinquo venientem vt foemina sentit,
Foemina nequitiae mater, Reginaq; fraudum,
Sic ait: hostis adest, hostis mihi vir probitatis,
Vir candoris amans, nostras turbare loquelas
Approperat, nosco gressus, hostilia nosco,
Quaeis mihi pernicies illata est saepius: hostem
Expectare nefas: nec plura locuta sub auras
Ocyus effugiens, densis sese abdidit umbris.
Vt verò ex oculis cessit, visusq; reliquit
Foemina falsa meos: en mox grauitate verendâ
Vir grandaeuus adest, stomachansq; silentia rumpit:
Quid monstrum horrendum, fera bestia, quid Dea Ditis
Tartareis prouecta vadis? quae dira vomebat
Ore venena tetro? fraudes quas corde ferebat?
An nondum inuentum scelerum satis, atria nondum
An stygii funesta ducis, tenebrasq; perennes,
Digna labore isto maledictum premia scortum
Noctis amans, satis emeruit? nondumne supremum
Imponit finem petulante laceffere linguâ?
O si nunc nobis se nigro Acheronte relicta
Offerat, heu quantas scelerum daret horrida pœnas,
Quam

Quam pedibus nostris benè conculcanda veniret.
 Conticuit: percontor ego, sit fœmina quenam,
 Quî genus, unde domo, quid agat, quidûe egerit unq̄,
 Quod verbis adeò culpet mordacibus illam,
 Tantasq̄ irarum foreat sub pectore flammâs.
 Is mihi: Plutonis monstrum prodiit ab arce,
 Invidiâ genitrice satum, cui crimina fœda,
 Iræq̄, insidiæq̄, & iurgia noxia cordi:
 Virtutem insequitur, temnit benefacta, bonosq̄,
 Et clara alterius ledit præconia fama.
 Nomine ab effectu (respondent nomina rebus
 Sæpè suis) illa est rabiosa CALUMNIA dicta,
 Et duodena gerit furiali in corpore signa,
 Signa malæ mentis, stygij simulacra furoris,
 Quæ si scire cupis, breuibus cuncta ordine pandam.
 Annuo, sermoniq̄, labens aduertere mentem
 Incipio, ut plenam trahit imo à pectore vocem,
 Et sic fœminei naturam, ac propria monstrî
 Ex serie referens signorum, ita farier insit:
 Tempora principio circum diadema refulgens,
 Summas designat vires, queis prædita magni
 Climata quæq̄, sibi deuincit fortiter orbis.
 Irus ei, Cræsusq̄, simul, iuuenisq̄, senexq̄,
 Indoctus, doctus, reprobusq̄, probusq̄, dolosis
 Subjicitur technis: summos Sæuisima pestis
 Induperatores, fortes cum principe reges,
 Heroas magnos, sanctum cum ciue Senatam,
 Matres atque viros, pueros, tenerasq̄, puellas
 Dente Teonino rodit, rodendo ministri
 Terribilis Domina, conuicia dira vomendo
 Egregiè pergunt, & opus non segniter urgent.
 Hi sunt innumeri, proprioq̄, à munere quiq̄,

I.
 Diadema.

Nomen

Nomen habent : sed habere negant : ita nominis illos
 Perpudet, officijꝫ sui, quo sauius vllum
 Vix Phlegeton habeat, miro tanguntur amore :
 Quorum aliquos paucis hinc enumerasse licebit.
 Inuidie primas damus, illam deinde sequuntur
 Ambitio, contemptus, Eris, mendacia, fraudes,
 Detrectatores, cum Momo, Zoilus ater,
 Et sycophanta vaser, Gnatho, Thrasogꝫ superbus,
 Rabula verbosus, cum scurrâ proditor asper.
 Ac plures alij innocuos qui crimine falso
 Insimulant, faustamqꝫ I E H O V A E munere sortem
 Concessam, his quavis arte eripuisse laborant.
 Horum seruitio vesana C A L V M N I A regni
 Nunc fera sceptrâ tenens toto dominatur in orbe,
 Nec quisquam illius valet effugisse furorem.

2.
Alz.

In tergo geminas pennis volitantibus alas
 Fœmina fraude potens extendit, & arte superba
 Inachio pavone magis se splendida prabet.
 Quo notat, hanc omnes velox se vertere in oras,
 Cunctaqꝫ regna soli, cuncta oppida, rura, domosqꝫ,
 Tempa, scholas, sancti quoqꝫ magna theatra senatus,
 Et nemora, & saltus, & vasti murmura ponti,
 Ac loca cuncta, sotos mortali ubi semine nouit,
 Perfurere, & sese cunctis inuoluere rebus,
 Pluraqꝫ cum socijs turbare negocia falsis.

3.
Vulnus.

Deinde quod æternum gestat sub pectore vulnus
 Significat : si arcana semel penetrata cordis
 Lethali inuidie sunt saucia cuspide, semper
 Vicinum insequitur, vicino insurgere semper
 Est animus, quavisqꝫ illi ratione nocere.
 Præcipuè vento si mitior aura secundo
 Spiret ei, clemensqꝫ D E I benedictio cornu

Libe-

Liberiore fluat, paulatim ut crescere pergat,
Ingenio, probitate, fide, splendore, fauore,
Nomine, diuitijs, dignoq; colatur honore.
Tunc furit illa magis, tunc inum Acheronta mouere
Incipit, atq; amens quosuis incumbit in astus,
Illius ut ledens famam, de sede, bonisq;
Pracipitet, similemq; sibi post collocet illuc.
Quoq; viget magis ille, hoc contra audentius ire
Non sine fraude parat, magis & sic pectoris vlcus
Sauciat acre sui, vulnusq; exasperat ingens.

Præterea crocea sunt huic velamina vestis

4.
Vestis cro
cca.

Quæ maculat patulo fluitans ex vulnere sanguis:
Monstrat id, Inuidiæ quando implacabilis ignis
Aestuat, & flammæ nimium voluuntur in altum,
Vi magna tandem latitans sub pectore liuor
Profilit, & manifesta sui dat signa veneni,
Req; simul, verbisq; probat, constansq; fatetur,
Nullo vicini se tangi ardore, sed omnes
Attentare vias, meritum quo possit honorem,
Eximiumq; decus multo sudore paratum
Illi aut detrahere, aut sceleratâ ledere linguâ.

Imponens tergo ventosa CALVMNIA leuam

5.
Leua ter-
go im-
posita.

Ostendit, præsens se nil tentare, sed omnes
Insidiasq;, dolosq; suos retrorsus obire.
Nam velut anguis atrox sinuosis orbibus errans
Virus ab ore vomit nocuum, linguaq; trisulca
Sibila seua sonans, venientum corpora pungit:
Sic quoque dira lues partes se vertit in omnes,
Atq; diem fugiens densâ in caligine sensim
Principio irrepit, propius sed ubi imminet, ore
Sibilat, & retrò crudelia spicula figit.

B

Hæc

6. *Culter san-
guine tin-
ctus.* *Hæc etiam læua tinctum de sanguine cultrum
Audacter retinet: quo tradit: cuspide lingua
Indomitâ misero se vulnera sæua propinquo
Inferre, atq; eius præconia debita fama
Ictibus innumeris lacerare, nigrumq; venenum
Tartareis mixtum tenebris, infundere sensim,
Quo magis atque magis laxentur vulnera honoris,
Et fœtore graui, turpiq; putredine læsa
Marcescant, & fama, decus, laus, stemma laborent.*

7. *Front. ob-
ligata.* *Effigies monstri quid signat fronte ligata?
Nil aliud, nisi quod scelerata CALVMNIA nulla
Laude, pudicitia, virtute, decore, tenetur,
Sed subita, immeditata, ferox, mala, turbida, fallax,
Opprobrijs, fraude, insidijs, mala multa precando,
Nullius parcit fame, nil iura, nec equum
Aestimat, at technis fallacibus omnia miscet,
Iusta, iniusta, proba, improba, turpia, honesta, nigra,
Vnum & idem censet, visa ac audita sinistre (alba,
Arripit, innocuosq; simul, nocuosq; laceffit.
Si verò quis eam fusa ob conuicia fama
Alloquitur, mox cuncta negat, mox inuocat astra,
Se nil dixisse, & fidum se fingit amicum.*

8. *Cæcitas.* *Progreditur nullo donata CALVMNIA visu:
Quî sic? imprudens, furibunda & pectoris expert,
Quâ data porta ruit, frena oris libera linquit:
Non finem spectat, ventura pericula nescit,
Et rationis inops damno se mergit aperto.*

9. *Viperei
crines.* *Innexos etiam squallentes crinibus angues
Turpis imago gerit: patet hinc, quod Nata tenebris
Fraude dolo nec non falso mendacia furo
Turpia permiscet, felliq; liquentia subdit
Mella, suosq; vagis conatus flectit habenis,*

Vt quandam veri speciem sub imagine falsa
Effigient, hominumque oculos ac pectora fallant.
Quem dextrâ portat, scyphus aureus arte paratus
Cerberæ, exponit: quod dira CALVMNIA amicam
Se simulans, omnes aditus collustret, & omnes
Exsuperet casus, rigida quo toxica lingua
Qualicumque modo tegat, effictoque colore
Inficiat: volucres ne mox referantur in auras:
Illud & ut melius procedat, acerba propinqui
Fataque, fortunisque, dolens quasi, pectore ficto
Conqueritur, gemitusque trahit vano ore sonantes.

10.
Scyphus
aureus.

Tetra venena, quibus pulcrum cratera coronat,
Edocuisse volunt, si quis sermonibus eius
Aures aduertit faciles, tum protinus illa
Pestiferum eructans virus, penetrabilia cordis
Arcana innocuo conspurcat, eique propinquum,
Non sine labe graui, suspectum reddit, & omnem
Tollit amicitiam, rixasque exasperat acres.
At ne compositas inimico pectore fraudes
Ocyus aduertat, iungit permixta venenis
Mella sonis, & blanditias vafra submouet omnes,
Donec ei cunctos fallaciter occupet artus
Utque fidem faciat verbis, persuadeat ore.

11.
Venenum
in scypho.

Denique Tisiphones cultrix agitata furore,
Ardentem trahit igne globum per regna, per vrbes
Sulphureo halantem fumo, picibusque micantem.
Qui notat, ut primum vis seua CALVMNIE atrocis
Obscuris rumpens latebris, sub luminis oras
Profilit: extemplo cunctum tumefacta malorum
Aequora iactantur, toto tunc tristis in orbe
Sœuit Eris, rabido conuicia turpia surgunt
Pectore, verborum mutantur sensa, feruntur

12.
Globus
ardens.

Somnia : quisque suæ contagia noxia lingua
Pernegat , utq̄ fides tribuatur , sidera iurat.
Tunc mage colligitur rabies , tunc dira seruntur
Iurgia , Martis amor , miscentur verbere verba ,
Arma laceffuntur , stringuntur tela , rotantur
Vulnifici chalybes , & pralia dura mouentur.
Hac natura potens , virtus hæc maxima monstro,
Quæ duodena notant horrendo in corpore signa :
Fraudibus hisce suis totum rabiosa per orbem,
Non sine crudeli magnorum clade virorum
Perfurit , imperioq̄ suo submittere cunctos
Terrarum fines , rerumq̄ recipere habenas
Sæua parat , famulosq̄ sibi vult turpiter omnes :
Et quia nocte satam se scit , noctisq̄ ministram,
Aq̄ tenebrarum duce , qui infernalibus aruis
Præsidet , emissam , ut nebulas sub imagine veri
Mentibus offundens hominum , & lethale venenum
Paulatim instillans , peruertat cuncta , serenam
Conturbet pacem , Bellonæ castra furentis
Erigat , atque scholas , sanctiq̄ palatia templi
Destruat , Astræam pellat , ius vastet & æquum :
Et contra iniustum , mendacia , crimina , fraudes,
Ac scelerum genus omne serat : nunc acrius instat,
Et veluti leo rugitu loca cuncta peragrans,
Opprobrijs famam iustorum ledere , & horum
Inuisum cuiuis conatur reddere nomen,
Vtrixæ , insidie , funestaq̄ pralia surgant,
Pluraq̄ terrigenum mittantur corpora letho.
Et quia postremi iam instare nouissima sentit
Tempora iudicij , cunctas adsurgit in iras
Perfida , Tartareiq̄ ducis iussa , impia iussa
Seuius exercens , hominum tardare salutem,

Ac

Ac Stygia complere domus habitacula, & omnes
 Tentat acerborum socios habuisse malorum.
 Cautè igitur cuius nunc, & sapienter agendum,
 Qui casses nocuos, quos dira CALVMNIA ponit,
 Euitasse cupit, rigidosq; euadere morsus.
 Hæc effatus ubi canis grandæuus honestis,
 Ocyus æthereos magnum per inane iugales
 Flectit, & astriferum dicto prius intrat Olympum.
 Sic igitur clarè depicta CALVMNIA turpis:
 Sic nunc apparet, quàm sit miserabile monstrum,
 Quàm tetra effigies, atque exitiale venenum.
 Sed paucis (quia vena mihi iam tardior aret,
 Et nostra inuita veniunt in carmina Musæ)
 Nequitia mater, fons & sentina malorum,
 Ac scelerum inuentrix furiosa CALVMNIA sola,
 Sola suæ obscurat petulanti murmure lingua
 Iustitiam, veriq; fidem: sola omnia turbat.
 Hinc quæ vicini claræ præconia fame,
 Eximiumq; decus debebat lingua tueri,
 Illius & quosuis non ficto pectore neuos
 Condere, siq; aliquid sceleris patrasset amicè
 Hortari, atque iterum deducere tramite recto:
 Lingua dolos, fraudesq; sonans incessere dictis
 Non adèd nocuos, quàm queis sine crimine vita,
 Turpiter aggreditur, totis & viribus instat,
 Illorum ut nomen, laus, gloria, stemma labascant.
 Hinc Iacobus ait, linguam exitiabile membrum
 Mundi iniustitiam, scelus & lethale venenum:
 Psalmographusq; petit redimi se à morsibus oris.
 Hinc quoque fure nocens mage liuida lingua rapaci
 Dicitur: is siquidem bona fluxa & corpori alendo
 Designata modò: verum hæc fallaciter aufert.

Mentis opes, famaꝝ decus reparabile nunquam,
Sed vitium ceu latus habet non tetrius orbis,
Non magis pestiferum: sic neue, frequentius vllum:
Maxima pars hominum fallace CALVMNIÆ ab ore
Pendet ouans, auresq; simul, linguamq; proteruam
Spontè ministrat, opemq; suam non segnius offert.
Sed DEVS, ille DEVS, residens super aurea cæli
Culmina, cunctorumq; animos ac pectora scrutans
Supplicio tandem iustam succensus in iram
Afficiet digno conuicia dira loquentes.
Hos non vlla fides, pietas non vlla manebit:
Sed sine laude omni turpes, sine honore iacentes
Cunctis exosi, fœdissima fabula cunctis,
Spernentur merito, queisuis abigentur ab oris,
Vitaq; cum gemitu ruet indignata sub orcum.



EPI.



Epigramma

IN CALVMNIAM,

Ab ornatissimo ac doctiss. iuvene,

Dn. CASPARO CONRADO VRA-
TISLAVIENSI, DECANTATAM,

Ad beneuolum lectorem.

MUltis sæpè tulit damnanda calumnia damnum,
Et variæ cladis caussa, caputq; fuit.
Interea gemuit sub pondere iustus iniquæ
Sortis, nec sensit, qua recreetur, opem:
Donec diuini vis numinis affuit vltrix,
Auxiliumque pijs, quod meruere, tulit:
Tunc gauisa fuit claris bona causa triumphis,
Iustus & auratis liber abiuit equis.
Hoc benè perpendit memori sub pectore secum
CONRADVS, Clarij fama, nitorq; chori.
Hoc ergò vicium comprehendit carmine, cuius
Heroi multum verba leporis habent.
Perlege, iudicio simul vtere, visa placebunt,
Quæ perlecta boni consuluisse velis.

*Johannes Hornicæus Lipsiens.
Opt. art. ac Philosophiæ M.
Iurium Candidatus, ac Not.
Pub. Cas.*

ALF-



ALIVD.

Docta iuuentuti teneræ præcepta ferentes
Perpetuum laudis nomen ab orbe ferunt :
Sic quoq; dum gracili depingis carmine monstrum
Inuidiæ : Musæ præmia digna dabunt.
Præmia digna dabunt Musæ conatibus istis,
Lausq; tibi tanti summa laboris erit.
Et licet infensos generet descriptio Monstri
Hostes : qui tendant spicula dira necis :
Non tamen aut dolor , aut moror tua pectora turbet,
Sed posito luctu , gaudia læta cape.
Nam licet inuideant magni loca peruia mundi ;
Sunt tamen æterno carmina grata D E O.
Perge igitur versu res illustrare salubres :
Describas patrij , carmine , tecta foli.
Namque locum primum dulcissima rura parentum
Acquirunt : prior his est tribuendus honor.
Ergò ludenti fluitantia carmina versu
Nectere quo possis , viue , valeq; diu.

Amoris ergò faciebat.

*Fridericus Raschky Vratisl.
Siles. Not. Cesar. &
I. V. Stud.*

ALI-



A L I V D.

SI, mala quid noceat, sit, quidúe CALVMNIA quæris?
Monstrat Coniuncti Musa diferta mei:
Est etenim viuis depicta coloribus ista,
Zoile si cupias dicere vera modò.
Nam scio, quod semper tibi sit, quod carpere possis:
Vera simul facilis falsa vocare labor:
Cum ratione tamen possis euincere nulla,
Nec verbis insint pondera magna tuis.
Desine nunc igitur: reliquis concedito palmam,
Cum tua ceu stipulæ verba maligna cadant.
Et tu mirari cessa, dubio procul omni
Tale quid vt fiat, si tibi contigerit.
Hoc præstans placida est perpeßus mente Melanchton
Quo quondam nullus clarior orbe fuit.
Inuidiâ nullo caruerunt tempore docti;
Hæc benè sed meritos est comitata viros.
Perge sed: huic potius rumpantur vt ilia: præstat
Res sic imparibus concinuisse modis.

*Ioachimus Rinckhammerus
Nabipurgens. Palat.
LL. sacratisß. Stud.
& N. P.*

C

ALI-



ALIVD.

QVanquam nemo neget, nulla vnquam secla fuisse
Quæ prorsus proprij fuerint expertia næui:
Non tamen vt præsens, qua nos (heu) viuimus, ætas,
Tam foedis penitus vicijs iacuere sepulta,
Vt non immeritò dicas, præsentia quod sint
Instar foecundæ viciorum tempora matris,
Cuius cum tanto succreuit fœnore semen,
Vt superare queat cunctos pietatis amantes.
Inprimis vero princeps hoc tempore fertur
Alterius famam maledicta CALVMNIA lædens,
Quæ cunctos rabido consuevit carpere morfu.
Hæc quàm turpe malum, quàm fit sæuissima pestis,
Toto qua mundo vix vlla nocentior extet,
Ex doctè scripto CONRADI carmine disce,
Carmine qui id studuit culto præstare, quod olim
Picturæ voluit forma, præclarus Apelles.
At CASPARE, tui quæ est gratia digna laboris?
Iusta tibi Musæ pro tantis præmia factis
Reddent, æternas referendo carmine laudes.

*Andreas Coffnatus Grauw-
dentinus Boruss.*

ALII-



A L I V D.

Tentandum est equidem nil aduersante Minerua,
Flacci ceu referunt doctissima scripta poëtæ :
Non tamen exiguo, mentis, **C A S P A R E**, sagacis,
Carminè, diuino tibi Numine tradita dona
Non celebrabo : studes doctos dum condere versus,
Monstrando scitè, pulchrâ sub imagine (pictor
Haud secus ac quondam clarus, què nomine Apellem
Dixère, & passim volitare per ora virorum
Cernimus) innocuam rabido vt fera bestia dente
Terrigenûm laceret rodendo **C A L V M N I A** famam.
Quare fac stolidi spernas conuicia Momi
Turpia, qui cunctis semper maledicere tentat :
Sedulus ac pergas famam captare per artes
Supremi, ingenuas, queis gloria sparsa Parentis,
Gloria perpetuò totum memoranda per orbem.

*Georgius Scharff
Vratisl.*



Blind-stamped text at the top of the page, likely a title or reference.

A L I V D .



Parandum est equidem ad aduocatum Minerva
Tunc carceribus doctus scriptor
Non tamen ex quo, mentis CASARIS sagax
Carminis, diuino tibi Numine tradita dona
Non celebrabo: sedes doctos dum condere veritas
Mentibus fore, pulchra sub imagine (pictor
Haud scire se condam clausus quo nomine Apollon
Dicit, & passim volitare per ora virtutum
Cernimus) innocuum tabido ut scis bellis dante
Terribili faceret torcendo CALVMNIA famulum
Quare facit solidi spectas conuicta mentis
Tanta, qui cunctis impet maledicere tentat:
Scholus ac pergas famam capere per aures
Superant ingenuas, quos gloria sparsa Parentis
Gloria perpetuo totum memoranda per orbem.

Georgius Scharff
Vratisl.









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

MNIA
 VM MON.
 VICIORVM
 tiffima humanæ
 pacis ac tranquil-
 , infensa bonis,
 malis,
 HEROICO
 BRATA
 CONRADO
 TISL.
 crat.
 κὸν Διαβολῆ.
 S I Æ
 nberger excudebat.
 . D. XCV.

17

Ο γνητῆς. ac φ
 veni Dn. Casp
 ro Monasterberg
 LL. in Academ
 studioso, amico
 munon colendo